



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. Simonia quid sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

trando & committendo. Crimen sceleris atrocitate, Delictum verò omitendo contrahatur, quandoquidem promiscuè usurpari possunt & usurpentur à Iustis, in *l. 1. Cod. Si adversus delictum* &c. nos quoque promiscuè usurpabimus hoc loco: ita tamen, ut licet Peccatum seu Delictum in genere nihil aliud sit, quam actus humanus malus, ut docet Covar. in *Clement. Si furiosus* p. 2. in *princ. n. 1. in fin.*, pressius tamen hic illud accipiamus, ubi agimus de delictis in ordine ad pœnas humanas, nempe pro actu humano malo, qui accusatione & coëcitatione à Jure seu Iudice humano dignus sit, sive dolo malo fiat, sive culpa, etiam levissima, admittatur. Dico, pro actu humano; ut indicem debere illud esse voluntarium, sive directè, sive indirectè, sive interpretativè, prout etiam constat ex Gratiano xv. q. 1. in *princ.* & Covar. d. loco. Dico, qui accusatione &c. ut indicem delictum ex te ipso orti, id est ex ipso maleficio. *l. 4. in princ. D. de obligat. & act.* quia sola cogitatione conceptum à Jure non coeretur, *l. Cogitationis 18. D. de pœnis*; sed ultorem habet Deum, *can. fin. xxxii. q. 3.* Aliàs si voluntas seu actus interior in actum eruperit exteriorem, legi subiicitur humana, eaque puniendus venit, *l. is qui cum relo Cod. Ad L. Cornel. de sicar.* maxime ubi in actum exteriorem ita deductus est, ut per conantem non steterit, quò minus delictum fuerit consummatum, *can. Qui pejerare xxxi. q. 5. & similibus.* potissimum in maleficiis, ubi principium & voluntas, non exitus spectatur, *juxta l. Quoniam multa 6. Cod. Ad L. Jul. de vi publ. cum similib.* & generaliter in iis delictis, quæ facile in consequentiam trahuntur.

Omissa item delictorum ea divisione, quæ jure Civili dividuntur in Publica & Privata, & rursus Publica in Capitalia & non Capitalia, de qua *Instit. de publ. judicio. l. 1. & 2. D. eod.*

2. Jure Canonico ita commodè dividi possunt; Primò, quòd aut principaliter offendant divinam majestatem, ut Simonia, Hæresis, Schisma, Apostasia, Blasphemia, Sortilegium, de quibus etiam prius agendum erit; aut læsionem sive damnum adferant proximo, veluti homicidium, Furtum, Rapina, Ufura, Adulterium, Stuprum, Incestus, Rapus, Injuria, &c. similia, de quibus posterius agemus,

Secundò, quòd alia sint levia, alia gravia, graviora & gravissima, quorum differentiam malim arbitrio Judicis relinquere, quam hic tradere.

3. Tertiò, quòd alia sint merè Ecclesiastica seu fori Ecclesiastici, alia merè secularia, seu fori secularis, alia mixta seu mixti fori. Merè Ecclesiastica sunt, quorum cognitio Ecclesiastico Judici reservata est, licet per laicum commissa sint, ut crimen Hæresis, violatio voti Deofacti, aut alicujus præcepti Ecclesiæ violatio censura Ecclesiastica: sacrilegium in sacris commissum, &c. similia, de quibus Abbas & alii, in *c. Cum sit generalis 8. sup. de foro compet.* Merè secularia sunt ea, de quibus, si à laicis committantur, soli Judices seculares cognoscunt, ut Homicidium, Furtum, Rapina &c. similia. Mixta sunt, de quibus, si à laicis committantur, tam Ecclesiasticus quam secularis Judex potest cognoscere: cujusmodi sunt Adulterium, Sodomia, & alia, de quibus Jul. Clar. in *Pract. Crim. q. 37.*

§. II.

Simonia quid sit.

1. 2. Simonia unde dicta & definitio illius.
3. Pretium in Simonia triplex, muneris à manu, à lingua, ab obsequio.
4. Res spirituales qua hic dicantur.
5. Spirituali annexum quid sit.

Inter delicta, quæ divinam offendunt majestatem, gravissimum est Simonia: tum quia per illam homo rem, non suam, sed cujus tantum est dispensator, vendit, tum quia rem spirituales pretio aestimat, eoque pacto vilem facit: similis Judæ, quia Christi dona vendit. Tamque grave delictum ceusetur Simonia, ut ejus comparatione cætera omnia pro nihilo reputentur, *can. ult. 1. q. 7. & c. Per tuas 32. h. 1.*

1. Dicitur autem Simonia à Simone Mago sive magicæ disciplinæ perito, *can. penult. xxi. q. 3.* quia is primus tempore novi Testamenti legitur hoc crimine se & quidem gravissimè polluisse, dum donum Dei seu gratiam Spiritus mercari voluit, ut *Actor. 8. can. Qui studet 1. qu. 1. & can. Salvator 1. qu. 3.*

2. Definitur studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum. Dicitur, studiosa voluntas

luntas, id est deliberata, ut excludantur morus voluntatis non plenè deliberati, Sumiturque hic voluntas pro ipso actu voluntatis, causa nimirum pro effectu.

Dicitur, emendi & vendendi, quibus verbis intelligitur omnis contractus onerosus, seu non gratuitus, sive sit emptio, sive permutatio, sive locatio; omnisque pactio, sive ea tacita sit, sive expressa.

Dicitur, pretio temporali: quia in hoc consistit ratio Simonie, quod res spiritualis aut spirituali annexa aestimetur pretio temporali, vel aliqua re, quæ pretio sit aestimabilis. Et idem dicitur res spiritualis pro spirituali, aut etiam temporalis, verum non per modum pretii, sed per modum elemosinæ; nempe ut rem spiritualem administrans inde vivat, non erit Simonia. Imò talem consuetudinem, velut piam & laudabilem, probat Pont. & servari præcipit in *Ad Apostolicam* 42. b. t.

Nec obstat, *e. Non satis* 8. c. *Cum in Ecclesia* 9. c. *In tantum* 38. c. *Jacobus* 44. hoc tit. quia ibi solum improbat Pont. pravam consuetudinem, quæ inoleverat, ut aliquid temporale pro rebus ipsis spiritualibus detur vel accipiatur ex pacto: quantumvis sit in veterata, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget, *d. c. Non satis*: tantoque graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam tenuerint, *d. cap. Cum Ecclesia*.

3. Pretium ex *can. Sunt nonnulli* 114. l. 9. 1. *can. Salvator* 1. q. 3. solet statui triplex, scilicet pretium muneris à manu, ut pecunia, (quo nomine intelligitur res omnis, quæ est in commercio nostro) vestis, equus, & similia vendi consueta: pretium linguæ sive muneris à lingua, ut laus, vituperatio, item patrocinium advocati, intercessio & commendatio apud Principem, modò ex pacto fiant & obligationem inducant: & idem Simoniam committit, qui pro humana gratia vel laude confert Ordines, *d. can. Sunt nonnulli*. Denique pretium est obsequii, sive muneris ab obsequio, ut ministerium aliquod in rebus temporalibus, quale est famuli, æconomi. Vide Navar. in *Manuali* cap. 23. num. 102. & latè Suarez lib. 4. *De Statu Religionis qui est de Simonia* cap. 37. 38. 39. & 40.

4. Spirituale hic vocatur non omne aut so-

lum incorporale, sed quod aliquo modo est spirituale, sive sit aliquid reale, sive morale tantum, sive per modum actus, sive per modum habitus. Estque hæc materia Simonie, quia cum natura sua sit tale, ut industria humana comparari nequeat, sed divino munere concedi gratis possit, & debeat, magna fuerit irreverentia, si pretio, sicut alie res humanæ, aestimetur. Ideoque non est Simonia, vendere doctrinam, vel notitiam cujusvis veritatis, naturali industria comparabilis, prout etiam constat ex *can. Non liceat* 21. qm. 3. Sunt autem res spirituales triplicis generis. Alie sunt tales secundum essentiam, ut gratia gratum faciens, virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti, gratiæ gratis daræ, de quibus 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Ephes.* 4. Huc pertinent character ac potestas ordinis & jurisdictionis Ecclesiæ. Alie sunt spirituales secundum causam, ut Sacramenta, quæ sunt causa gratiæ: quò referuntur Missæ, Sacrificium, & omnia Sacramentalia, oleum sacrum, chrisma, aqua benedicta, agnus Dei & similia. Alie denique secundum effectum, ut operationes & exercitia, quæ alicui spirituali & supernaturali dono conveniunt, ut prophetizare, facere miracula, administrare Sacramenta, dispensare, commutare vota, & similia.

5. Spirituali annexum est, quod cum aliquo spirituali connexionem habet. Quod tribus modis contingit, anteceder, concomitanter, & consequenter. Anteceder, & tunc consideratur ut causa illius qui annexum dicitur: cujusmodi sunt ea, quæ tamquam prævia & præsupposita per se ordinantur ad spiritualia à Christo instituta, ut vasa sacra, vestes sacra, calices, campanæ, benedictio templi, consecratio, & similia, quæ ad sacrificium Missæ referuntur. Simile est jus patronatus, quia præsupponitur præsentationi ad beneficia, & jus sepulture, quia per illud acquirit sepultus multa bona spiritualia; à Christo instituta. Concomitanter, ut labor & actio omnis quæ in functionibus spiritualibus sive ministerio Sacramentorum consistit. Ubi observandum, laborem illum esse duplicem, unum præcedentem & non necessarium nec intrinsecum administrationi, & pro illo licet accipere pecuniam & eundem subiectionis, se. ius.

secluso tamen scandalo, alterum intrinsecum administrationi, & in quo ipsa Sacramenti administratio consistit: qualis est, qui impenditur in celebrando, audiendo confessiones, & pro tali non licet accipere pretium. Consequenter, quod à spirituali dependet & consideratur ut effectus ratione suæ causæ; ejusmodi sunt beneficia Ecclesiastica, quia supponunt officium divinum, propter quod dantur. In istis tamen non committitur Simonia, nisi interveniat pactum tacitum vel expressum de dando pretio pro ejusmodi spiritualibus, secundum communem sententiam: ac proinde non est Simonia, si Sacerdos præster ministeria sacra, etiam principaliter, ob lucrum temporale; si nullum pactum expressum vel tacitum interveniat. Similiter nec si detur alicui beneficium ob amorem humanum, ut quia sanguine vel amicitia junctus est, vel ob timorem, ne tibi noceat, modò non interveniat pactum Less 2. *Delictu. cap. 35. Dubitat 1. Glar. De cianus in Tract. Crimin. To. 1. lib. 5. cap. 79. & 80.*

§. III.

Quotuplex sit Simonia.

1. *Simonia alia est juris divini, alia juris humani.*
2. *Item alia Mentalis, alia Conventionalis, alia Realis.*
3. *Alia item Confidentia, qua species est conventionalis.*

Duobus potissimum modis dividi Simonia potest. Primò in Simoniam Juris divini & Simoniam Juris humani sive Ecclesiastici: nam licet nonnulli velint omnem Simoniam esse Juris divini, verius tamen est, aliquam esse Juris humani, ut præter Theologos communiter tradunt Canonistæ in *Quasitum & in cap. Cum olim sup. De rer. permutat.* eâ ratione, quòd sola Ecclesia possit sua lege efficere, ut res, quæ ex natura sua est vendibilis, secundum id, quod temporale est, non sit vendibilis quoad eandem partem, ob ordinem, quem habet, ad partem spiritualem, seu in reverentiam rei spiritualis, cui, connectitur, non addendo aliquam novam sanctitatem, vel consecrationem. Talis Simonia locum habet in venditione beneficiorum quoad partem temporalem, seu jus fructuum, quam partem Ecclesia sta-

tuit non vendibilem, ratione divini officii, à quo ex Ecclesia statuto dependet. Similiter in venditione quorundam officiorum minus spiritualium, *can. Salvator 1 q. 3. ut Sacrista. O. con. nomi Ecclesiæ, Advocati Ecclesiæ & similia*, quæ ex solo jure positivo annexa sunt spiritualibus. Præterea in permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum, sine auctoritate superiorum facta, *d. c. Quasitum sup. de rer. permutat.* quia potuit Ecclesia illa facere non permutablem, ob sanctitatem ministerii: quamquam talis permutatio generaliori solum ratione dicatur simoniaca, si non interveniat aliquid temporale, tamquam pretium rei spiritualis. Huic divisioni respondet illa Gloss. *solemnis, in c. Ex parte 13. sup. De offic. & potest. iud. deleg. & in c. Cum pridem 4. V. illicita pactionis sup. De pactis*, qua dicuntur quædam prohibita, quia simoniaca, quædam simoniaca, quia prohibita, Vide Gutierrez *lib. 2. Can. qu. c. 23.*

2. Secundò dividi potest in Mentalem, Conventionalem & Realem. Mentalis est internum propositum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit eum obligare ad reddendum temporale, vel è contra, sine ullo pacto exteriori, expresso vel tacito: veluti si quis Episcopo det pecuniam, vel eidem serviat, eâ intentione, ut pro illa pecunia aut obsequio in mercedem ei conferat beneficium, impleque Episcopus eidem beneficium contulerit, nullo tamen pacto, expresso vel tacito, interveniente.

Conventionalis est, quando tacite vel expresse intercessit pactum, extra tamen executionem, saltem utrumque factam. Et idè duobus modis fieri potest: Primò, si tantum sit in unum pactum, absque ulteriori progressu ad traditionem rei, ex alterutra parte; & hæc vocatur pure conventionalis. Secundò, si una pars dederit pretium, & altera non dum tradiderit rem spiritualement, vel contra; & hæc vocatur conventionalis mixta, quia constat partim reali, partim conventionali.

3. Hujus species est Simonia, quæ vocatur confidentia, qua quis paciscitur cum eo, cui confert vel procurat beneficium eligendo, presentando, postulando, resignando in favorem, instituendo, confirmando, commendando, vel alia ratione, ut is, qui beneficium accepturus est,